

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Narratio comica de amicitia Damonis ac Pythiae

Omichius, Franciscus

Noribergae, 1617

Actus II. Scena 5

[urn:nbn:de:bsz:31-138648](#)

Haud auspicatō, quantum video, pedem
huc tuli. Nam quæ hæc impudentia, quæ
injuria est? Ne illic quidem ubi Siciliæ Rex
sceptrum gerit, sine argento quempiam
adipisci poslè quod est jus publicum? Quid
ago? Nisi cras dimidiā afferam minam;
de cæteris in dubium venio miser. Sed
potius quām totum amittam; illud quod
postulat alicunde comparavero, & rapa-
ci illi milvio (quod nec bene vertat) tan-
quam offam objecero.

Actus II. Scena 5.

DIONYSIUS, DION.

N Unquam credidi, Dion, tantâ Plato-
nem excellere sapientiâ, quantam
re ipsa jam cognovi. Nam præclarè ad-
modum mihi de Republica gubernanda
visus est differere. Itaq; iis, quæ monuit
ac suasit, libenter obsequar. Cùm verò
inter alia præceperit, ut viros doctos in a-
amicitiam nostram recipiamus, & ex illo-
rum consiliis Rempublicâ moderemur:
non satis mecum constituere possum, u-
binam locorum illi faciles sint inventu?

Age

atum video, pedem
e impudentia, que
em in Sicilia Re
gento quempiam
s publicum? Quid
ferunt minam;
o miser. Sed
am; illud quod
avero, & rapa
ne verrat) tan-

Age ita; mi Dion (nam te multis annis in
urbe liberalissimis doctrinis affluent vi-
xisse, & cum hominibus eruditissimis fa-
miliaritatem contraxisse, novi) demon-
stra mihi, e quibus in civitatibus aut re-
gionibus doctorum virorum sit copia?

DION. Cum voluptate, Rex Dionysi,
tua verba audivi, quibus te virorum do-
ctorum consuetudine gaudere ostendisti.
Sic enim omnino tibi persuaderis, nec ci-
vitatem, nec regnum ullum consistere
diu posse, si bonorum ac prudentium vi-
rorum destituatur consilio. Hoc autem
tempore (quantum ego quidem sciam)
non ita frequens est hominum eruditio-
rum numerus. Plurimos enim à liberali-
um artium cultu absterrit contemptus il-
le, qui bonas literas comitari solet Quo-
tus enim quisq; est hoc seculo, qui doctos
in precio habeat? Longè vero plures re-
periuntur, qui illos irrideant atq; exibi-
lent In precio premium nunc est: dat cen-
sus honores. Si enim quis bene nummat⁹
alicui fiat obviam: illi assurgitur, ille capi-
te aperto honoratur: illi de viâ deceditur.
illi plausus datur. Siquis vero homo doctus

occurrat: nā ille limis adspicitur, fucus in-
ers & inutile terraē pondus appellatur: nec
ei, si ædes locupletioris intret, penula scin-
ditur: quamvis honoris & dicis eaūsa sal-
vere jubeatur. Ex quibus luce meridianā
clarus est, propterea bonas artes jacēre,
quia à plerisq; improbanter: certè non
eā, quā decebat, munificentia aluntur &
excitantur. Sed quicquid sit: Duos adhuc
superesse novi viros doctissimos atq; in-
nocentissimos, Pythagoricæ prudentiæ sa-
cris initiatos: quos equidem, quin prater
cæteros probaturus sis, nullus ambigo.
Iiq; in primis intelligunt, quām caute &
circumspecte in conciliandis amicitiis sic
agendum. Quocirca si tuæ Maiestati pla-
cet: exquiram illorum sententiam & ex-
plicabor, utrum illis libeat aulam tuam
sectari, & munere consiliariorum fungi?

DIONYS. Placet consilium. Itaque ne
cessa, dum hoc effectum dederis, eosq; in
regiam adduxeris: ut ego juxtā cum ipsis
prudenter de omnibus rebus consultare,
& regni salutem procurare queam.

Actus